

pro Universali illò Spiritu mundi nihil facit,  
ceu Theologi pluribus docebunt. Opinio  
autem de Spiritu mundi ortum traxisse vide-  
tur ex Ethnicorum fabulis, quas & ipsi ex Scri-  
ptura malè intellecta hauserunt.

§. 9. Ad illa, quæ ex Experientia de-  
sumuntur, in genere respondetur, pleraque  
esse *supernaturalia, occulta*, quorum causæ  
nos latent ; *incerta*, ut ad probandum no-  
vum hominis principium in scientia Physica  
non sufficiant. Naturalem esse stillationem  
sanguinis ad homicidæ præsentiam, etiamsi  
post decem annos acciderit, & ab occisi ho-  
minis Spiritu in homicida hærente causari,  
dum ad motus cadaveri Spiritum intus laten-  
tem evocat cum suo vehiculo sanguine, per-  
suadere nobis conantur exemplo de manu  
amputata, arefacta & in carcere suspensa,  
quod post integrum decennium ad homici-  
dæ præsentiam sanguinem stillavit, quod U-  
zenhovij in Dania accidisse scribunt. Ve-  
rùm si naturale hoc est, dicat mihi aliquis,  
cur